



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 3. Factorum talio exemplis sacris demonstrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tem integram effecisset? an non potius milites irritasset, vt Christum tantò crudeliùs tractarent? quemadmodum videmus hostem vrbe capta truculentiùs sauire in armatos ac se se defendere paratos. Ita quidem hic locus est intelligendus.

§. III.

Factorum talio exemplis sacris demonstrata.

Interim diuina Nemesis fit, vt sæpe etiam eodem modo hominibus noceatur, quo ipsi nocere voluerunt, vt *qui fodit foueam, incidat in eam, & qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadat.* Dixi, exempla esse sacra, & profana. E sacris adduxi suprà quædam de Achitophel, qui suo consilio periit; de duobus falsis testibus, qui lapides, quos in Susannam innocentem iactare voluerunt, suo capite excipere coacti sunt. His adde Pharaonem, qui *præcepit omni populo dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proycite.* Ita filios Israël voluit extinguere, quibus obstetrices pepercerunt. Quid illi contigit? *Factum est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Egypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsq; ad primogenitum captiua, qua erat in carcere, & omne primogenitum*

Eccles. 10.

8.

Eccl. 27.

28.

Exod. 1.

22.

Exod. 12.

29.

iumentorum. Non ergo tantum dentem,
 pro dente, oculum pro oculo; sed etiam
 pro infantibus occisis infantum necem exe-
 git Deus. Iosephum fratres in cisternam,
 Iosephus fratres in carcerem misit tribus die-
 bus. Unde educti dixerunt: *Merito haec pa-*
timur, quia peccauimus in fratrem nostrum vi-
identes angustiam animae illius, dum deprecari-
tur nos, & non audiuimus; idcirco venit super
nos ista tribulatio. Quare neque Ioseph eos
 audiuit deprecantes. Quod facturus est eti-
 am Deus illis, qui nolunt eum audire vocan-
 tem: *Stat ad ostium, & pulsat, tangit cor pec-*
catoris, duram inuenit ianuam, non aperit-
tur, etiamsi tota nocte pulset, etiamsi cinci-
ni eius pleni sint guttis noctium. Quid ergo
 iratus dicit? *Quia vocaui, & renuistis: ex-*
tendi manum meam, & non fuit, qui affice-
ret. Despexistis omne consilium meum, & in-
crepationes meas neglexistis. Ego quoque in-
interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum volu-
id, quod timebatis, aduenerit, &c. In Iudi-
 cum libro, *Fugit Adonibezec: quem persecuti*
comprehenderunt, casis summitatibus manuum
eius ac pedum. Dixitq; Adonibezec: Septua-
ginta reges, amputatis manuum ac pedum sum-
mitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum
reliquias:

reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. In-
star canis sub mensa comedit, qui alios mo-
re canum tractauit. Itaque, quod ipse sibi
intriuuit, hoc illi fuit exedendum. Vt autem
& illud fieret, quod David dixit: *Lacum*, Psal. 7, 16.
aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam,
quam fecit. Daniel, apud regem Darium, su. Dan. 6. 33
perabat omnes principes & satrapas: quia spi-
ritus Dei amplior erat in illo. Porrò rex cogita-
bat constituere eum super omne regnum: unde
principes & satrapa quarebant occasionem, ut
inuenirent Danieli malum. Quod cum nus-
quam inuenire possent, nisi ut legem, diui-
næ legi contrariam statuerent, prohiberent-
que, Ut omnis, qui petisset aliquam petitionem
à quocumque Deo, & homine usq; ad triginta
dies, nisi à rege, in lacum leonum mittere-
tur. Daniel quia ter in die flectebat genua sua,
& adorabat, confitebaturq; coram Deo suo, si-
cut & antè facere consueuerat, missus est in
lacum à leonibus discerpendus. Sed belluæ
innocentiæ pepercerunt, & illæsum reddi-
derunt; quasi illis custodiendus, non deuo-
randus traditus esset. Iubente autem rege ad-
ducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem,
& in lacum leonum missi sunt; ipsi, & filij, &
uxores eorum: & non peruenerunt usq; ad pau-
mentum

mentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

§. IV.

Suo gladio pereuntes, inter quos sunt, qui docent, scripturam esse luce meridiana clariorem.

Matth.
26. 52.

1. Reg 17.
50.

Ne verò etiam in sacris historijs putes, Marios deesse, qui suo telo sunt iugulati, aut qui acceperint gladium, & gladio perierunt, quid notius (spurio illo Goliath? is quantus in hostem surgebat? quantas voces iactabat? quantum terrorem Israëlitis incutiebat? An impunè? *Prævaluit David adversum Philistheum in funda & lapide, percussimq; Philistheum interfecit. Cumq; gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philistheum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditq; caput eius. Quod facere, sine gladio, non potuisset. Ut gladius non abesset, attulit ipse eum in perniciem suam vastus ille gladiator. Quamvis alia eum mente attulit, nempe ut id ipsum faceret Davidi, quod à Davide passus est. In quæ verba D. Gregorius ait: *Vir quoque Catholicus colligit testimonia Scripture, quæ hæreticus pro se affert; & erroris eius pertinaciam inde conuincit.**

Goliath